

The following *Ovatio* was delivered at the fall 1992 meeting of CAAS on October 23 in Poughkeepsie, New York.

OVATIO: JOHN E. REXINE

“Graecia capta,” ait Horatius noster, “ferum victorem cepit et artes intulit agresti Latio.”¹ Ortus Graeca stirpe, captus amore antiquitatis, corda multorum discipulorum discipularumque cepisti, effecistisque ut fierent vere benigniores mitioresque homines. Et non solum artes sed etiam munificentiam nummorum intulisti tuae agresti universitati, praeditae nomine dentifricii. Ut unus ex collegis tuis dixit,² “nutrivisti infantiam studiorum classicorum et sic assidue tuebaris ut sui iuris et sui generis stent.” Te adiuvante, ex nihilo creabatur nova sedes praeceptorum senioris ordinis occupanda.

Quamvis tuum cognomen regnum tyrannorum commonefaciat, tuum opus tuum magnum amorem libertatis declarat: studiis classicis in universitate tua liberatis, colloquium honorans festum tempus anniversarium rei publicae formae popularis Atheniensis produxisti. Multum de libertate—et orbis classici et recentioris aetatis—scripsisti. Tibi, alumno urbis illustris lactuca fabisque coctis, Pulchra Domus Veritatis concessit tres gradus et baccalaurei et magistri in artibus, deinde doctoris philosophiae. Tibi nunc hae societates classicae et Medio-Atlanticarum civitatum et huius civitatis imperantis, quas labores tui maxime auxerunt, concedimus nostram supremam dignitatem. Plaudamus John Efstratios Rexine.

¹ Horace, *Epistles* 2.1.156-157.

² Robert Garland, Roy D. and Margaret B. Wooster Professor of the Classics.

University of Maryland
CW 86.6 (1993)

JUDITH P. HALLETT

The following *ovationes* were delivered on April 1993 at the Eighty-Sixth Annual Meeting of CAAS at Princeton University.

OVATIO: MAE SMETHURST

In antiqua tragoedia quae habet nomen *Persarum*, Aeschylus, fabularum Graecarum scriptor, dixit omnes copias Asianas domum regressas esse.¹ Tu, autem, doctissima in tragoediis Graecis Iaponnicisque et auctoribus Aeschylus Zeamique, nuper Europaeas litteras cum Asianis coniunxisti. Gradum Baccalaureae Artium in Collegio Dickinsonensi, insigni Rubris pellibus pomisque, adeptus es; deinde ad terram Magni Caerulei progressa es ut gradus Magistrae Artium et Philosophiae Doctoris apud homines animalia, gulones gulones nomine, honorantes adipisceris. In universitate urbis notissimae Piratis et Avibus bicoloribus regionis australis cursum honorum illustrissime peregrasti. Ibi quoque fuisti particeps impigerrima consiliorum de statu feminarum ac nationum minoribus numeris, de bibliotheca universitatis, et de transfigurandis studiis artium scientiarumque. Discipulos tuos cum eruditione, ardore, praestante modo docendi incendisti. Huic Societati maxime profuisti multos annos ut editor Mundi Classici nostri. Tu vere nobis protulisti “pasa gar ischos Asiatogenês” in tuis libris libellisque de tragoedia Graeca et ‘noh’ Iaponnica, scriptis quo Graeca Iaponnicisque comparerentur et inde melius intelligerentur. Sicut annis recentioribus Prima Matrona huius rei publicae

proclamabat, nunc nos proclamare possumus, "tantum dic *noh*", te laudantes ab imo pectore (Iaponnice "*kokoro no ike no*"). Plaudamus igitur Mae Smethurst.

University of Maryland
CW 86.6 (1993)

VALERIE BURDEN,
JUDITH P. HALLETT, POLLY ANN MAGEE,
WAYNE MILLAN, JONATHAN SPIEGEL

¹ Aeschylus, *Persians* 12-13: "For all the Asian-born strength has gone home."

OVATIO: LAWRENCE GAICHAS

Tullius noster laudat studium philosophiae his verbis memoria dignis, "O vitae philosophia dux, o virtutis indagatrix expultrixque vitiorum! Quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset?"¹ Similibus verbis nos te laudamus, "O mentis mechanicae dux, o etymologiarum indagator expulsorque molestiarum numerosis arboribus! Quid non modo nos, sed omnino vita Mundi Classici sine te esse potuisset?" Propter te, nova exempla huius libelli—decoris Societatis Classicae nostrae—tempestive latissimeque mittuntur, ex urbe trium fluminum ad lectores in quaque regione orbis terrarum. Nostrum Indicem Enumerantem Studiosos Antiquitatis Classicae in Civitatibus Foederatis et in Finitima Natione Septentrionali peperisti, in quo tu res magni momenti de diversis eruditis accumulavisti. Sic effecisti ut nos, amantes classicorum studiorum, et discentes in bibliothecis et docentes in auditoriis, melius inter nos communicaremus. Adeptus gradus Magistri Artium et Doctoris Philosophiae apud Universitatem in urbe cuius nomen huius novae terrae inventorem commemorat, tu quoque fiebas inventor novorum usum legumque grammaticarum linguae Latinae menti mechanicae. Ut Tullius rogat, iterum studium philosophiae honorans, sic rogamus te honorantes, "Cuius igitur potius opibus utamur quam tuis?"¹ Plaudamus Lawrence Gaichas.

University of Maryland
CW 86.6 (1993)

JUDITH P. HALLETT, SUSAN F. JOSEPH,
KEVIN SHIRLEY, ETHAN SUGERMAN

¹ Cicero, *Tusc.* 5.5

OVATIO: ANNA SHAW BENJAMIN

Hodie honoramus praeditissimam vigentissimam "dominam artium classicarum." Haec insignissima docuit et linguam et litteras Romanorum Graecorumque sex et triginta annos unico modo, verbis suorum multorum discipulorum descripto ut "non solum stimulante sed etiam provocante."

Studiis in Puellarum Academia Philadelphiae perfectis, ita fructa es tuis diebus in eadem urbe apud Universitatem Pennsylvaniae ut ad gradum Doctoris Philosophiae perficiendum manseris. Tum docuisti duodecim annos in eadem civitate, apud Collegium Juniatae, et inde Columbiae, in Universitate Missouriensi, ubi de ordine adiutricis ad ordinem plenae doctoris promovebaris. Novum cursum docendi incepisti in hac civitate, Nova Jerseyensi, apud antiquam Universitatem Rutgersiensem, ubi tres et viginti annos laboravisti.

Tum totam vitam fovisti studium reliquiarum Graecarum et fodisti quosdam annos in venusta urbe, Aphrodisiasi nomine. Director Aestivorum in Schola

Americana Studiorum Classicorum Athenis facta es. In omnibus rebus, omnibus punctis temporis, assidue omnibus artes classicas amantibus, dedisti tuam animadversionem, hortationem, consilium et invictam vim. Tua vox diu et clarissime in porticibus academiarum audiri potuit, semper dicens studia classica hominibus liberales artes colentibus praeponenda esse.

Pro fide illis tuae curae creditis, pro perpetuo amore eruditionis doctrinaeque, pro vera liberalitate tuis omnibus discipulis, pro talibus tuis meritis, plaudamus Anna Shaw Benjamin.

St. Joseph's Preparatory School
CW 86.6 (1993)

HENRY BENDER